

Dum perueneris ad. Qui pridie. dirige mentem et intentionem ad faciendum illud/ quod intellerit christus in sua cena et quod intendit sancta mater ecclesia. In comunione aut paulisper subsiste. et dic non lingua aut labiis: sed corde factu. Domine iesu christe rex glorie: qui tua in effabili benignitate permittis te a me indignissimo peccatore tractari: presertim ut presumam te dñm omnium mittere in latrinam: siue cisternam fetidam corporis mei. At quid me fecisti: ut tibi hanc iniuriam execrandam facerem. Nulle anni lacrimarum et penitentie non sufficerent ad tam nobile sacramentum digne semel percipiendum. Quanto magis ego miser et indignus sum qui omni die pecco. in corrigibilis pseuero: et impreparate accedo. Sed in infinitum est misericordia tua maior: quam sit mea ineffabilis miseria. Unde de tua pietate confisus: te sumere presumo. Hec enim duo maxime requiruntur ad congruam perceptionem huius sacramenti scilicet: profunda humilitas cum adnichilatione sui: et compassio mortis christi. Post comunione, si non sentis aliquam spiritualem refectionem: signum est infirmitatis spiritualis: vel mortis. Ignem posuisti in sinu et non sentis calorem. mel in ore. et non sentis dulcedinem. Si vero consolationem sentis aliquam. non tibi attribuas. sed dei bonitati. qui etiam malos et indignos consolatur. Et dicas in corde tuo ad meam miseriam detestandam me comunicat suis beneficiis. Si michi peccatori talia fecit. quid faciet si vitam meam correxero Ideo totis viribus volo me mutare. et spiritui sibi adherere Hoc autem non reputes posse tua virtute. sed auxilio gratie eius Quod nobis prestare dignetur ipse iesus benedictus. Amen.

Explicit.

Sequitur oratio deuota ad eucharistiam

Aue uiuens hostia veritas et vita
In qua sacrificia cuncta sunt finita.
Per te patri gloria datur infinita.
Per te stat ecclesia iugiter munita
Aue vas clementie scrinium dulcoris.
In quo sunt deliciae celi saporis.
Veritas substantie tota saluatoris